



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

28. Decembris. Discussis, decretisque jam rebus, nox ultimum dare debet
consilium. S. Ign. ap. Bart. l. 3. n. 35.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

si timori spem substituamus. Nemo plus nos impedit, quàm ipsi; dum nimium sapere volumus, desipimus.

Frustra fatigaris, brevior humana est perspicacia, quàm ut prævideat universa; quæ suspicaris, nunquam evenient, fient autem, quæ tu non cogitas. Divinæ aliud quid providentiæ relinquendum, suus etiam spei dandus est locus.

28. Decembris.

Discussis, decretisque jam rebus, non ultimum dare debet consilium. S. Ign. ap. Bart. l. 3. n. 35.

PRudentia virtus non esset, si omnia, quæ nobis incidunt, consilia essent; quàm bellè tum omnia, & nihil inconsultò gereretur, sed ut non quodvis cerebrum Palladem, ità nec quævis incidentia, consilium parit.

Consilia, ut iis tutò uti possis, festina non sint; præcipitata enim facile præcipitant. Ut una fax alteri, sic & cogitatio una lucem addit alteri, ut magis perspicuè, quid agendum sit, videas.

Multa impetus dictat, qui justâ, si temperetur morâ, damnabit, quæ ante proba-

baverat. Sæpe passio menti offundit caliginem, hæc iudicium eripit, cui tempus mederi potest : quantum enim subsidit illa, tantò plus lucis affulget.

Nemo omnibus horis sapit. Novercæ sunt dies aliquæ in nostram ortæ pernicis em; noctem, si expectamus, felicior illucescet altera. Dilata fieri possunt, facta, si malè cedant, mutari non semper possunt.

29. Decembris.

Otium malorum omnium origo, quoad ejus fieri poterit, locum non habeat. S. Ignat. p. 3. c. 1. n. 6.

ADæ filii sumus, nostræ nos decet non oblivisci hæreditatis, ut in sudore vultûs pane nostro pascamur. Qui non laborat, non manducet, vox est Apostoli. Quî facto vespere grossum speres? si non laboras in vinea.

Homo nascitur ad laborem; nihil agere, perinde est, ac non vivere. Vita corporis in motu consistit, si cessent arteriæ, si anhelitus sistat, deficit vita; sic nec anima vivere censenda est, quæ, quod deberet, non agit.

Tempus illud inter perdita computandum